

7 Lenitati in defectu opponitur Lentitudo, quâ homo in irascendo deficit.

SCHOL. Græcè dicitur ἀοργυσία, id est, iræ vacuitas. A nonnullis dicitur stupor, quia qui non irascuntur ubi justa irascendi causa est, ignavi & stupidi sensusq; exper- tes judicandi sunt. Et hoc vitium noxium est, siquidem homo lentus habetur pro fatuo, mancipio, & ad res bene gerendas inepto. Exempla hujus vitii admodum rara sunt, juxta illud: Etiam formice est suavis.

8 Clementia est mansuetudo, in vindicando & puniendo modum servans.

SCHOL. Quod lenitas præstat in irâ, id clementia in vindictâ & ultione, quâ vis Aristoteles hoc discrimen non observet. Seneca clementiam vocat temperantiam animi in potestate ulciscendi. Hanc Cicero pro M. Marcello in Julio Cæsare satis commendare non potest. Rectè igitur apud Claudianum Theodosius Imp. filio Honorio hoc dat salubre consilium:

*Sis pius in primis, nam quum vincamur in omni  
Munere, sola deos æquat clementia nobis.*

Huc præclarum illud & Imperatore dignissimum symbolum Henrici I. cognomento Aucupis: Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox. Rectè enim Ovidius:

*Conveniens homini est hominem servare voluptas.*

Et alibi:

*Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox;  
Qui doleat quoties cogitur esse ferox.*

Memorable est quod ait Dido apud Virgil. lib. 4. Æn.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Ἡ γὰρ συγγνώμη κρείττων τιμωρίας. Venia melior est vindictâ. Plusquam sexcenta exempla clementiæ Dei in sacris proponuntur, ut præcipuè in Psalmis Davidicis videre est, & Israëlitarum res gestæ testantur. Si in Sodomâ decem tantùm viri boni fuissent, Deus omnibus peperisset; Gen. 18. v. 32. Compertum hoc est in exemplo Davidis, Manassis, Latronis in cruce, Mariæ Magdalenaë septem dæmoniis obsessæ ab iisque liberatæ, Petri Christi

istum